

eiusque cultores ad celsitudinis culmen erigere conamur. Quapropter agnoscat universitas nostrorum fidelium scilicet presentium et futurorum, qualiter nos pro Dei || omnipotentis amore nostrarumque animarum remedio, inclinati precibus nostrae coniugis simulque participis nostri regni Gislæ per hoc nostrum preceptum donamus, concedimus atque largimur omnibus sacerdotibus, levitis, subdiaconibus universisque sacris ordinibus Lucę civitatis commorantibus seu etiam suburbanis necnon in plebibus et villis infra episcopatum prefatę Lucę habitantibus, ut deinceps in antea a nullis magnis parvisque personis hominum ad secularia iudicia pro qualicunque controversia examinentur vel distringantur nisi ab eorum presule, et ut nullus in domibus eorum aliquam invasionem audeat inferre vel tributum sive redditum seu etiam superimpositum hisdem sacerdotibus, levitis, subdiaconibus universisque sacris ordinibus a quaquam persona minime imponatur vel requiratur, et ne aliquis audeat se intromittere sine legali iudicio in universis supellectilibus eorum sive in servis utriusque sexus vel etiam familiis, mobilibus et immobilibus, arvis cultilibus et incultilibus, vineis, olivetis, silvis, pratis, pascualibus seu in universis hereditatibus eorum sive acquisitis necne³⁾ libellariis vel quicquid illis iuste et legaliter pertinere perspicitur. Insuper concedimus ob nostram imperialem ditionem omnibus predictis sacerdotibus, diaconibus, subdiaconibus cunctisque sacris ordinibus, ut eorum advocatus non aliter nisi solus iuret sine ulla contradictione, sicut in sancta Romana ecclesia agitur. Et liceat illis secundum ecclesiasticum gradum vel normam sancti canonis vivere et sub nostro instituto privilegio consistere. Et ita sane precipientes iubemus, ut nullus dux sive marchio, comes, vicecomes, gastaldius, curialis exactor, decanus, vocemissarius vel etiam ulla persona hominum hos iam fatos sacerdotes et universos sacros ordines audeat inquietare vel ultro se ingerere in omnibus casis et rebus iam superius prenotatis vel etiam eis sevitiā aut iniurias inferre, sed sint sub nostro imperiali precepto tuti et quieti quatinus omnipotenti Deo eiusque sanctis ecclesiis inoffense valeant servitium exhibere. Et quod a nobis sancitum est, nullus audeat quocunque titulo infringere, sed sint remoti ab omnibus contradictionibus hominum. Si quis igitur huius nostri precepti violator aut contradictor extiterit, sciat se compositurum auri optimi libras centum, medietatem camerę nostrę et medietatem predictis sacerdotibus, diaconibus, subdiaconibus cum universis sacris ordinibus eorumque successoribus. Quod ut verius credatur diligentiusque ab omnibus observetur, manibus propriis presentem paginam roborantes sigilli nostri impressione subter insigniri iussimus.